An. et vol. XXXII 19 Aprilis 1940 (Ser. II, v. VII) – Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Sacrum Consistorium, p. 137 – Constitutiones Apostolicae, p. 139 – Epistula, p. 144 – Homilia, p. 146.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 151 – *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Decretum, p. 152 – *S. C. Rituum*: I. Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. S. D. Mariae Gulielmae de Rodat, p. 157. II. Decretum de *Tuto* pro beatificatione Ven. S. D. Mariae Crucifixae Di Rosa, p. 160.

Acta Officiorum: *Dataria Apostolica*: Declaratio, p. 163.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie – S. Penitenzieria Apostolica: Avviso di concorso – Segreteria di Stato: Nomine – Necrologio, pp. 164-168.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XL

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 35 — extra Italiam, *L. it.* 55 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4 — extra Italiam, *L. it.* 4,50

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXII, n. 5 - 19 Aprilis 1940)

ACTA PII PP. XII

SACRUM CONSISTORIUM

PAG.

CONSISTORIUM SEMIPUBLICUM 137

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *Dyrrachiensis* (Albaniae Australis). - Ab Archidioecesi Dyrrachiensi pars distrahitur complectens Albaniae Australis territorium, atque nova exinde Administratio Apostolica, « Albaniae Australis » nomine, constituitur. - *11 Novembris 1939* 139

II. *Natalensis* (Calcoënsis). - A Natalensi Dioecesi quaedam territorii pars seiungitur et nova exinde Dioecesis, « Calcoënsis » nuncupanda, erigitur, Metropolitanae Ecclesiae Parahybensi suffraganea. - *25 Novembris 1939* 141

EPISTULA

Superiore anno. - Ad Emum P. D. Aloysium tit. S. Pudentianae S. R. E. Cardinalem Maglione, a publicis Ecclesiae negotiis: ut preces fundantur ad populorum pacem conciliandam. - *15 Aprilis 1940* 144

HOMILIA

A Sanctissimo D. N. Pio Pp. XII, die 24 mensis Martii anni 1940 in Basilica Vaticana habita, inter sacra Paschatis sollemnia 146

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 151

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

PAG.

Decretum. De recta cleri orientalis institutione in territoriis patriarchalibus. - *27 Ianuarii 1940* 152

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Ruthenen.* - Decretum de miraculis pro beatificatione venerabilis Servae Dei Mariae Gulielmae de Rodat, Fundatricis Sororum a Sacra Familia. - *17 Martii 1940* 157

II. *Brixien.* - Decretum de « Tuto » pro beatificatione venerabilis Servae Dei Mariae Crucifixae Di Rosa, Fundatricis Congregationis Ancillarum a Caritate. - *17 Martii 1940* 160

ACTA OFFICIORUM

DATARIA APOSTOLICA

Declaratio. De conditionibus in conferendo Canonicatu theologali requisitis. - *8 Aprilis 1940* 163

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 164

II. Sacra Penitenzieria Apostolica: *Avviso di concorso* 164

III. Segreteria di Stato: *Nomine* 165

IV. Necrologio 168

An. et vol. XXXII 19 Aprilis 1940 (Ser. II, v. VII) – Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

SACRUM CONSISTORIUM

CONSISTORIUM SEMIPUBLICUM

Feria V, die 4 mensis Aprilis a. 1940, in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani, *Consistorium semipublicum* habitum est, in quo Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII tam Reverendissimorum Patrum Cardinalium, quam Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum itemque Praelatorum seu Abbatum *nullius*, quibus ius est, suffragia excepit pro futura canonizatione Beatarum Mariae a Sancta Euphrasia Pelletier, monialis professae ex Ordine Dominae Nostrae a Caritate, fundatricis Instituti Sororum a Bono Pastore, et Gemmae Galgani, virginis saecularis.

Suffragia excepturus Beatissimus Pater haec praefatus est:

VENERABILES FRATRES,

Causae de sanctitatis honoribus decernendis cum Beatae Mariae a S. Euphrasia Pelletier, moniali professae Ordinis Dominae Nostrae a Caritate eidemque Instituti sororum a Bono Pastore Legiferae Matri, tum Beatae Gemmae Galgani, virgini Lucensi, eo diligenti studio pertractatae fuere, quo ut nostis, Apostolica Sedes res eiusmodi dispicere ac perpendere assolet.

Etenim, postquam Sacrum Consilium ritibus tutandis ex Romani Pontificis mandato rem totam religiosissime recognovit,

et hinc inde rationes omnes, quasi in iusta trutina positas, aequa lance libravit, Nos quoque easdem causas Nobis allatas accurate inspeximus, atque Apostolica auctoritate Nostra ediximus tuto procedi posse ad sollemnem harum Beatarum Virginum consecrationem celebrandam. Habita praeterea sunt hac eadem super re Consistoria duo, secretum unum, publicum alterum. Dubium igitur non est omnia fuisse sedulo diligenterque pensata in suaque luce posita.

Cupimus nihilominus consilii etiam vestri lumen menti Nostrae ne desit; atque adeo iussimus ad vos singulos universos legitimos commentarios de harum Beatarum Virginum vita opportuno tempore mitti, unde facile vobis esset necessarias haurire notitias ad propositas causas diiudicandas. Velitis igitur in praesens, alius ex alio secundum dignitatis vestrae gradum, quid opinemini ultro aperteque Nobiscum communicare.

Exceptis vero adstantium suffragiis, Ssmus Dominus Noster haec addidit:

Concordi voce concordique animo vos Nobiscum consentire laetamur admodum; ac pro certo habemus communem sententiam Nostram ac vestram christifidelium omnium votis ac precibus respondere. Nihil igitur cunctandum esse ducimus ut mentem Nostram vobis aperiamus. Nobis scilicet deliberatum est rem in Petriana Basilica sollemni apparatu sollemnibusque caerimoniis agere die II proximi mensis Maii, Ascensioni D. N. Iesu Christi dicato. Atque interea vos omnes, rogamus, preces vestras ne intermittatis ut laetabilis hic eventus ad Dei gloriam per sancte vivendi exempla manifestandam summopere conferat; id quoque comprecantes ut hoc, quod omnes communibus votis praestolamur, cum Catholicae Ecclesiae, tum universo humano generi, trepidis in praesens afflictisque rebus laboranti, propitium, faustum ac salutare sit.

Tum R. P. D. Carolus Respighi, Praefectus Apostolicarum Caeremoniarum, absente Procuratore fiscali Camerae Apostolicae, Protonotarios

Apostolicos praesentes consueta formula rogavit ut de actis in Consistorio semipublico instrumentum conficerent ad perpetuam rei memoriam.

Et R. P. D. Alfridus Vitali, ex Protonotariis Apostolicis adstantibus senior, idem spopondit dicens « Conficiemus », conversusque ad Cubicularios de numero participantium qui erant circa Solium, eosque appellans, prosecutus est « Vobis testibus ».

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DYRRACHIENSIS
(ALBANIAE AUSTRALIS)

AB ARCHIDIOECESI DYRRACHIENSI PARS DISTRAHITUR COMPLECTENS ALBANIAE AUSTRALIS TERRITORIUM, ATQUE NOVA EXINDE ADMINISTRATIO APOSTOLICA, « ALBANIAE AUSTRALIS » NOMINE, CONSTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter regiones, quas fel. rec. Pius Papa Undecimus Motu proprio *Sancta Dei Ecclesia* diei vigesimaquintae Martii mensis elapsi anni, S. Congregationis pro ecclesia Orientali iurisdictioni tribuit, pars australis exstat Albaniae regni, ad Archidioecesim Dyrrachiensem hactenus pertinens. Cum itaque in regione illa fidelium numerus tum latini tum byzantini ritus tam valde, Deo favente, auctus sit et adhuc in dies augeatur, ut, eorum spirituali bono Archiepiscopus Dyrrachiensis difficulter prospicere queat, Venerabilis Frater Leo Ioannes Baptista Nigris, Archiepiscopus titularis Philippensis, Delegatus Apostolicus in Albania, a Nobis postulavit ut ab Archidioecesi Dyrrachiensi ea distrahatur pars S. Congregationis pro Ecclesia Orientali iurisdictioni iam subiecta et nova ex ea Administratio Apostolica constituatur. Nos autem, pro supremi quo fungimur apostolatus officio, omnia quae aeternae animarum saluti utilia videantur procurare satagentes, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositorum consilio, audito quoque hodierno Dyrrachiensi Archiepiscopo, re mature perpensa, praefati Delegati Apostolici precibus annuendum censuimus. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum in-

tersit. vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ab Archidioecesi Dyrrachiensi partem illam disiungimus complectentem Albaniae australis territorium, quod intra limites civilium Provinciarum vulgo de *Elbassan, Korca, Berat, Valona, Argyrocastro* continetur, atque ex ita avulso territorio novam constituimus Administrationem Apostolicam *Albaniae Australis* nomine nuncupandam, eamque S. Congregationis pro Ecclesia Orientali iurisdictioni subiectam volumus. Ipsius autem Administratori Apostolico plenam tribuimus iurisdictionem super omnes paroecias et missiones constitutas et constituendas tum latini tum byzantini ritus, itemque super omnes fideles utriusque ritus intra eiusdem Administrationis limites exstantes, eique omnia concedimus iura et facultates ad ceteros per orbem Administratores Apostolicos ad iuris normam spectantes, eumque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, ut supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, constitutionis, concessionis, decreti et voluntatis Nostrae infringere, vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo nono, die undecima mensis Novembris, Pontificatus Nostri anno primo.

Fr. TH. PIUS, O. P., Card. BOGGIANI
Cancellarius S. R. E.

EUGENIUS Card. TISSERANT
S. C. pro Ecclesia Orientali a secretis

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXII, n. 32. – Al. Trussardi.

II

NATALENSIS
(CAICOËNSIS)

A NATALENSI DIOECESI QUAEDAM TERRITORII PARS SEIUNGITUR ET NOVA EXINDE DIOECESIS, « CAICOËNSIS » NUNCUPANDA, ERIGITUR, METROPOLITANAE ECCLESIAE PARAHYBENSI SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

E dioecesibus, quae ob nimiam territorii amplitudinem ab uno vel diligentissimo Antistite vix regi queant, partem seiungere et novas exinde dioeceses erigere opportunum ducimus, ut, aucto Pastorum numero, uberiores possit dominicus grex fructus percipere. Quod quidem prae oculis habentes, Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum consilio, ac praehabito venerabilis Fratris Benedicti Aloisi Masella, Archiepiscopi Titularis Caesariensis in Mauretania, apud Brasilianam Rempublicam Nuntii Apostolici, favorabili voto, re mature perpensa, libenter excipiendas duximus preces venerabilis Fratris Marcolini de Souza Dantas, Episcopi Natalensis, qui a Nobis expostulavit ut, ad maiorem christifidelium utilitatem, ex amplissimo suae dioecesis territorio pars separetur, ex qua nova possit Dioecesis constitui. Suppleto igitur, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant consensu, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a praefata dioecesi Natalensi territorii partem distrahimus binas complectentem paroecias in *Caicò* urbe exstantes, nec non paroecias municipiorum *Curraes Novos, Acary, Jardin do Seridò, Parelhas, Serra Negra, Flores,* atque ex ita avulso territorio novam erigimus et constituimus dioecesim, quam a *Caicò* urbe « Caicoënsem » nuncupari volumus ac decernimus. Huius novae dioecesis fines erunt: ad septentrionem continui Sanctae Annae montes; ad orientem montium *Doutor* iuga et Status *Parahyba* limes; ad meridiem et occidentem septentrionales eiusdem Status fines. Ipsius dioecesis episcopalem sedem in *Caicò* urbe, a qua dioecesis illa ut iam diximus nomen mutuatur, constituimus, ipsamque propterea ad civitatis episcopalis fastigium extollimus, eique tribuimus privilegia et iura omnia, quibus ceterae episcopales civitates pollent. Episcopi autem ca-

thedram in paroeciali ecclesia Deo in honorem S. Annae dicata, in eadem urbe exstante, figimus eamque ad Cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus; eique igitur atque Caicoënsibus pro tempore Episcopis omnia concedimus iura, privilegia, honores, insignia, favores et gratias, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, illosque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Antistites adstringuntur. Dioecesim vero Caicoënsem suffraganeam constituimus Metropolitanae Ecclesiae Parahybensis, illiusque pro tempore Episcopos metropolitico Parahybensis Archiepiscopi iuri subiicimus. Cum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant ut in nova hac dioecesi Canonicorum Capitulum modo erigatur, indulgemus ut interim pro Canonicis dioecesani Consultores ad iuris tramitem seligantur et adhibeantur. Mandamus insuper ut, quamprimum fieri poterit, saltem parvum Seminarium iuxta Codicis praescripta et normas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus traditas instituatur, itemque ut novae dioecesis Caicoënsis sumptibus bini delecti iuvenes, aut modo saltem unus, non intermissa vice in almam hanc Urbem mittantur ut in Pontificio Seminario Brasiliano in spem Ecclesiae instituantur. Quod porro attinet ad huius novae Dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis, seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, adamussim servanda iubemus quae sacri canones ad rem praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat statuimus ut simul ac de huius Caicoënsis dioecesis erectione Litterae ad exsecutionem deductae fuerint, eo ipso eidem censeantur adscripti clerici qui in eius territorio legitime degunt. Episcopalem autem mensam constituent Curiae emolumenta et oblationes quae fideles, in quorum bonum dioecesis erecta est, praebere solent, praeter ea quae ad hunc finem iam collecta sunt. Volumus denique ut documenta et acta, quae dioecesim Caicoënsem eiusque clericos et fideles respiciunt, a Cancellaria dioecesis Natalensis tradantur novae dioecesis Cancellariae, ut in eius archivo serventur. Ad quae omnia ut supra disposita et constituta exsecutioni mandanda quem supra diximus venerabilem Fratrem Benedictum Aloisi Masella, apud Brasilianam Rempublicam Nuntium Apostolicum, delegamus, cui omnes propterea tribuimus ad id necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum exsecutionis actorum exemplar quamcitius mittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod

quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo nono, die vigesima quinta mensis Novembris, Pontificatus Nostri anno primo.

Fr. TH. PIUS, O. P., Card. BOGGIANI
Cancellarius S. R. E.

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXII, n. 48. – Al. Trussardi.

EPISTULA

AD EMUM P. D. ALOYSIUM TIT. S. PUDENTIANAE S. R. E. PRESB. CARDINALEM MAGLIONE, A PUBLICIS ECCLESIAE NEGOTIIS: UT PRECES FUNDANTUR AD POPULORUM PACEM CONCILIANDAM

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Superiore anno, cum caelum tetris infuscabatur nubibus, atque armorum clangor, minitantium bella, trepidos tenebat omnes, Nos, qui filiorum maerores anxitudinesque paterno participamus animo, tibi litteras dedimus,[1] quibus per te christianos omnes adhortabamur ut, mense maio proxime adventante, ad magnam Dei Parentem idcirco preces funderent ac vota, ut eadem benignissima Mater Filium suum, ob admissa tot scelera offensum, nobis miseris conciliaret, utque, discrepantibus rationibus iure compositis sedatisque animis, populorum concordia redintegraretur. In praesens vero, rebus in deterius versis, cum saeviens bellum exardescat, iamque paene innumeras rerum iacturas doloresque pepererit, facere non possumus quin iterum omnes enixe obtestemur, quotquot ubique terrarum habemus filios, ut per proximum mensem, Deiparae Virgini dicatum, ad eius aram cotidie adeant, suppliciter deprecaturi.

Norunt profecto omnes Nos, inde ab exorto bello, nihil reliqui fecisse ut, quibus rationibus potuerimus — cum publicis documentis orationibusque, tum de re colloquendo tractandoque — ad pacem atque concordiam renovandam, quae iustitiae fulcimine niteretur ac mutua fraternaque perficeretur caritate, adhortaremur omnes. Ac tibi, Dilecte Fili Noster, qui tum prope Nobis ades in universa Ecclesia gubernanda, intimaque consuetudine uteris Nostra, probe cognitum est belligerantium populorum doloribus angoribusque tam vehementer Nos affici. ut illa in hanc rem Apostoli Pauli verba geminare liceat Nobisque tribuere: « Quis infirmatur, et ego non infirmor? »[2] Praeterea non modo ob ea, quae in dimicantes gentes teterrima mala ingruunt, summa maestitia Noster oppletur animus, sed ob discrimina etiam, formidolosiora cotidie, quae in ceteras quoque Nationes impendere videantur. Atsi, ut diximus, nihil pratermisimus, quidquid humanae opis est humanique consilii, ut hunc detrimentorum cumulum removeremus, summam tamen spem Nostram in eo reponimus, qui unus omnia potest, qui terram sua palmâ concludit, cuiusque in manibus sunt et populorum sortes et eorumdem

[1] Epist. *Quandoquidem* d. d. XX apr. MDCCCCXXXIX.

[2] II Cor., XI, 29.

moderatorum mentes voluntatesque. Quapropter omnes cupimus Nostris precibus suas item preces quodammodo inserant, ut misericordiarum Dominus quantocius potenti nutu suo aerumnosae huius procellae finem maturet.

Quandoquidem autem, ut divus Bernardus asseverat, « sic est voluntas eius [Dei], qui totum nos habere voluit per Mariam »,[3] ad Mariam confugiant omnes, ad eius sacratissimam aram preces, lacrimas, dolores afferant, ab eademque lenimenta ac solacia petant. Quod semper maiores nostri, ut historia loquitur, in trepidis rebus dubiisque temporibus, uberi cum fructu, facere sollemne habuere, id et nos in praesentissimo periculo, quo angimur, fidentes eorum vestigia ingressi, peragere ne desistamus. Tanta enim Beata Virgo apud Deum pollet gratia, tanta apud Unigenam suum potentia fruitur, ut quisquis, egens opis, non ad eam recurrat, nullo is alarum remigio, ut Aligherius concinit, volare conetur.[4] Ea siquidem potentissima Dei Parens est, et, quod dulcissime sapit, nostra itidem amantissima Mater; quapropter suave nobis omnibus esto in eius tutelam fidemque nos recipere, in eiusque materna bonitate conquiescere.

At peculiari modo optamus, Dilecte Fili Noster, ut iterum per proximum mensem candidae puerorum puellarumque multitudines supplices stipent sacras Virginis aedes; eademque deprecatrice ac sequestra pacis, populis ac gentibus omnibus a Deo pacata tempora impetrent. Ad altare caelestis Matris cotidie conveniant, ac, positis genibus elatisque manibus, cum precibus flores offerant, flores ipsimet mystici Ecclesiae viridarii. Magnam Nos utique in eorum supplicationibus spem reponimus, quorum « angeli... semper vident faciem Patris »,[5] quorum adspectus ipse innocentiam redolet, et in quorum vividis oculis aliquid videtur caelorum luminis refulgere. Novimus enim Divinum Redemptorem peculiari eos caritate complecti, ac sanctissimam eius Matrem teneriore eos benevolentia diligere; novimus insontium preces superna penetrare, divinam exarmare iustitiam, ac caelestia sibi ceterisque impetrare munera.

Quadam igitur pia inter se precum contentione instituta, rem supplicando urgere etiam atque etiam iidem ne desistant, illius promissionis memores: « Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate et aperietur vobis ».[6]

[3] *Serm. in Nativ. B. M. V.*
[4] Cfr. *Div. Com.*, Par. XXXIII, 13-15.
[5] Matth., XVIII, 10.
[6] Matth., VII, 7; Luc., XI, 9.

Ac faxit benignissimus Deus, tot comprecantium vocibus, innocentium praesertim puellorum, ad misericordiam permotus, ut, sedatis coniunctisque fraterno amore animis, ac recto ordine compositis tranquillatisque rebus, quam primum pacis iris felicioraque tempora humanae consortioni affulgeant.

Tu vero, Dilecte Fili Noster, velis haec vota atque hortamenta Nostra, aptiore quo duxeris modo, cum omnibus communicare, imprimisque cum sacrorum Antistitibus totius catholici orbis, quos semper voluntati Nostrae deditissimos experti sumus, quorumque pastoralem sollicitudinem tot rationibus exploratam habemus.

Interea autem, divinorum munerum auspicem, paternaeque voluntatis Nostrae testem, cum tibi, Dilecte Fili Noster, tum iis singulis universis, qui hortationi huic Nostrae libenti parebunt animo ac nominatim carissimorum Nobis puerorum phalangi, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XV mensis aprilis, anno MDCCCCXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XII

HOMILIA

A SANCTISSIMO D. N. PIO PP. XII, DIE XXIV MENSIS MARTII ANNI MDCCCCXXXX IN BASILICA VATICANA HABITA, INTER SACRA PASCHATIS SOLLEMNIA.

Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii,

« Exsultet iam angelica turba caelorum; exsultent divina mysteria ... gaudeat et tellus tantis irradiata fulgoribus! »[1] Silent maestissimae sacrorum vatum lamentationes, ac templa, deposito squalore, festivis concentibus festivisque ornatibus renident, ipsumque Crucis tropaeum victoriae palma decorat. Divinus enim Redemptor de triumphata morte victor surrexit, nobisque, quasi sacram hereditatem, vitam, pacem, salutem attulit.

Quodsi in praesens populi fere omnes, vel saeviente bello exagitati, vel futuri temporis discrimina reformidantes, anxia trepidatione laborant, Paschalia tamen Sollemnia mortalium animos ad superna gaudia revocant, easque reviviscere auge-

[1] Miss. Rom., Sab. S.

rique iubent, quibus tantopere indigemus, christianae fidei, spei caritatisque virtutes. Atque utinam, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, quemadmodum hodie Nostrum vestrosque animos caeleste gaudium perfundit hisce virtutibus altum, ita ubique terrarum homines universi sacram huius diei admonentem vocem audiant, sacraque illa afficiantur laetitia, quae una potest huius vitae mulcere dolores, lacrimas detergere, anxitudinesque pacare. Eos equidem summo Nos maerore recogitamus, quorum menti divinae veritatis lumen non affulget, quibusque datum non est in aerumnis, quibus anguntur, e supernis sedibus spem haurire falli nesciam verique nominis solacium. Eos igitur omnes ut mortis Triumphator superna sua luce collustret precamur, ac flexanima gratia sua ita renovatos conformet, ut et ipsi paschalia adipiscantur gaudia, pignora ea quidem sempiternae beatitatis. Singulis nempe hominibus sacra Iesu Christi Anastasis, quam hodie festivo more recolimus, spiritualis renovationis principium exstet, uti ex ea, quod historia luculentissime edocet, novus reapse saeculorum natus est ordo.

Etenim, postquam « devicto mortis aculeo ». [2] Christus Dominus credentibus aperuit regna caelorum, altera aetas, eaque felicior, universo humano generi affulsit. Siquidem, veluti cum primo mane e proceris montium verticibus sol emergens, nebulas caliginesque dispellit, ac lucem, calorem vitamque reducit, ita Iesus Christus e sepulcro vivus resurgens « fugat scelera, culpas lavat ... reddit innocentiam lapsis ... maestis laetitiam; fugat odia, concordiam parat. ... » [3] Apostoli, qui pavidi antea ac trepidi suum deseruerant Magistrum, postquam eius de inferorum potestate victoriam mirabundi viderunt, nutantem fidem suam confirmarunt, suisque in animis paene restinctam exsuscitarunt divini amoris flammam. Superna igitur virtute freti supernaque gratia adiuti, ad novam illam, quam a Iesu Christo spiritualem vitam hauserant, participandam cum ceteris omnibus sese compararunt, ad universumque terrarum orbem non cruentantibus armis, sed veritate caritateque subigendum. Quapropter « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum ». [4] Pagi, oppida ac frequentissimae urbes, novo lucis appulsu experrecta, novoque amoris

[2] Hymn. Ambr., *Te Deum*.
[3] Miss. Rom., Sab. S.
[4] Ps. XVIII, 5; Rom. X, 78.

afflatu excitata, se renovanda senserunt. Atque ubicumque gentium sanctissima iidem Apostoli sua ponunt vestigia, inibi, quasi exorto vere novo, miri sanctitudinis flores dehiscunt suavemque odorem redolent; invicti nempe christianae fidei confessores propagatoresque, candidae virgines, quae sua castimoniae lilia illibata servant, ac strenui martyres, qui victoriae palmas suo profuso sanguine consecrant. Martyres dicimus tam plurimos, qui hac praesertim in alma Urbe, Romani imperii christianique nominis capite, Catholicae Ecclesiae fundamenta suo cruore solidarunt; quique, mortem victoriamque anhelantes, tam intrepido pectore rugientibus leonibus obstitere, ut S. Ignatii, Antiochenae Ecclesiae Episcopi, grandiloqua illa verba unicuique eorum tribui queant: « Frumentum Christi sum; dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar! ». [5]

Atsi, ut diximus, Ecclesiaeque annales praedicant, Iesu Christi de morte triumphus mirandam prorsus attulit totius mundi restaurationem renovationemque, nos etiam in praesens, qui divini Redemptoris persequi vestigia volumus, spiritualis huius restaurationis formam in nosmet ipsos debemus studiose laborioseque referre. Hoc quidem — ut periclitando novimus omnes — haud facilis res est; nam eiusmodi renovatio virtute christiana solummodo efficitur; virtus vero, cui humana infirmitas obstat, vim postulat atque imperat, ut suam eadem quisque vitam informet.

At vero Christus Dominus, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, non modo nobis praecepta dedit; non modo eadem praecepta mirabili suae vitae exemplo confirmavit, sed superna etiam auxilia nobis pollicitus est, nobisque demisse enixeque poscentibus benignitate maxima continenter eadem dilargitur. Iesu Christi igitur asseclis nihil difficile volentibus; immo etiam, ut experiundo novimus, quo acrior colluctatio erit adversus « potestatem tenebrarum », [6] eo dulcior, eo suavior victoria. Omni ope igitur omnique nisu contendendum est « ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus », [7] utque « abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo ». [8]

[5] Ad Rom. IV, 1 - Cf. S. Hieron., *De Viris Illus.*, c. 16.
[6] Cf. Luc., XXII, 53; Ephes., VI, 12.
[7] Rom., VI, 4.
[8] Tit., II, 12.

Ita quidem ut « expoliantes ... veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creavit illum » [9] hoc reapse feliciter fiat « ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit ». [10]

Si hac agendi ratione, quam, ut vidimus, Apostolus gentium tam dilucide describit vehementerque commendat, vitam conformabimus nostram, sacra Paschatis sollemnia id nobis singulis universis afferent, ut indefatigabili labore vivam in nobismet ipsis Iesu Christi imaginem nostris moribus exprimamus, atque adeo in procellis ac tempestatibus, quibus hodie mundus formidolose concutitur, in aerumnisque omne genus, quibus tantopere in praesens hominum vita laborat, superna fruamur pace, immortalium bonorum spe reficiamur, ac caelestibus repleamur solaciis. Etenim, « si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus »; [11] si compatimur, et conglorificabimur. [12]

At aliud etiam in causa est, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, cur vobis cunctisque hominibus spiritualem eiusmodi per Christum renovationem restaurationemque vehementer commendemus. Hoc videlicet necessarium opus non modo privata singulorum vita privatumque bonum postulant, sed totius etiam humanae consortionis suprema salus. Idque potissimum hoc temporum discrimine, dum tristissimae res oculis obversantur omnium ac vel formidolosiores in posterum reformidantur. Nostis enim quae nobis aetas inciderit. Populorum concordia misere diffracta iacet; pacta conventa, quae data utrimque fide sollemniter confirmata fuere, interdum ex una parte solummodo, nec mutuis rationibus antea transactis definiteque compositis, vel immutantur, vel omnino infringuntur; ac vox silet fraterni amoris fraternaeque necessitudinis. Quidquid hominum mens tentando experiendoque peperit, quidquid est virium, quidquid fortunae divitiarumque, id fere omne vel ad bellum gerendum, vel in armorum apparatum confertur increscentem cotidie magis. Quae ad populorum prosperitatem ad auctioremque rerum progressionem gignebantur, ea in praesens, mutato cursu mu-

[9] Col. III, 9-10.
[10] II Cor., V, 15.
[11] II Tim., II, 11-12.
[12] Cf. Rom., VIII, 17.

tatoque ordine, in eorumdem exitium ruinamque convertuntur. Languent, intercepta insidiis omne genus, pacifica commercia; atque adeo tenuiorum praesertim civium classes rerum inopia laborant. Ac praeterea — quod deterius est — dum odio simultateque infuscantur animi, multis iam locis, terrae, maria ipsumque caelum, excelsa sempiternae patriae imago, fraterna caede foedantur. Et iura etiam, quibus excultae gentes inter se continentur, non semel violata summo maerore cernimus: unde misere est factum ut urbes non munitae, agricolarum pagi ac vici igneis sint glandibus exterrita, incendio absumpta, ruinisque vastata; utque inermes cives, ac vel ipsi infirmi, vacillantes senes innocentesque pueri e domo sint deturbati ac saepenumero morte confecti.

Quibus quidem ingravescentibus malis quota spes remedii reliqua erit, nisi quae oritur a Christo, ab eius afflatu, ab eiusque doctrina, quae in ipsius Civitatis venas saluberrime influat? Christus siquidem unus sua lege potest suaque gratia ut privatos, ita publicos renovare ac redintegrare mores; iustam iurium officiorumque aequilibritatem restituere; immodicum potiundarum rerum studium temperare; continere cupidinem; ac districtam iustitiam effusa caritate sua consummare atque perficere. Qui potuit nempe imperare ventis ac tempestatibus, ferique maris undas sedare tranquillasque reddere, ille unus itidem potest hominum voluntates ad concordiam fraternumque amorem inflectere; idque efficere ut — rebus omnibus inter gentes non vi, sed veritatis, iustitiae caritatisque ratione sponte feliciterque compositis — excidant gladii ac fluant arma de manibus, quae amico foedere tandem aliquando coniungantur.

Nos igitur, qui, ut paternum erga omnes gerimus animum, ita maerentes filiorum luctus angoresque participamus, a divino Redemptore, hoc sollemni laetoque die, supplici prece contendimus ut Regibus ac Principibus cunctoque populo christiano pacem, concordiam et unitatem largiri dignetur. [13] Amen.

[13] Cf. Litan. Sanctorum.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dominus Noster Pius, divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore providere dignatus est, nimirum:

die 19 Martii 1940. — Cathedrali Ecclesiae Bismarkiensi praefecit R. D. Vincentium I. Ryan, Vicarium Generalem dioecesis Fargensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Coelenae R. D. Georgium I. Donnelly, Antistitem Urbanum, cancellarium Curiae archiepiscopalis S. Ludovici, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Ioannis Glennon, Archiepiscopi S. Ludovici.

— Titulari episcopali Ecclesiae Sitensi R. D. Henricum O' Brien, Rectorem Seminarii Sancti Thomae, in dioecesi Hartfortiensi, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Mauritii Mc Auliffe, Episcopi eiusdem dioecesis Hartfortiensis.

die 25 Martii 1940. — Archiepiscopali Ecclesiae Anconitanae cum adnexo titulo Numanensi R. P. Marcum Ioannem Della Pietra, Ordinis Fratruum Minorum.

— Cathedralibus Ecclesiis Aeserniensi et Venafranae aeque principaliter unitis R. D. Albertum Carinci, canonicum theologum Capituli metropolitani Lancianensis.

die 28 Martii 1940. — Metropolitanae Ecclesiae Mutinensi et Abbatiae *nullius* Nonantulanae, invicem perpetuo unitis, Exc. P. D. Caesarem Boccoleri, hactenus Episcopum Interamnensem et Narniensem.

— Cathedrali Ecclesiae S. Caroli Ancudiae R. D. Hernandum Frias Hurtado, parochum in civitate S. Iacobi in Chile.

die 2 Aprilis 1940. — Titulari episcopali Ecclesiae Bosanensi R. D. Vincentium Brizgys, Professorem Seminarii Vilkaviskensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Skvireckas, Archiepiscopi Kaunensis.

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

DECRETUM

DE RECTA CLERI ORIENTALIS INSTITUTIONE IN TERRITORIIS PATRIARCHALIBUS

Apostolicae Sedi id semper cordi fuit, ut quos sua Dominus benignitate ad sublimem sacerdotii honorem dignaretur vocare, spiritualibus atque ad scientiam pertinentibus disciplinis adprime imbuerentur, quatenus re quidem vera, sal terrae et lux mundi futuri essent atque haberentur.

Maternae huius sollicitudinis circa iuveniles sacros manipulos, spem sanctae Ecclesiae, futuros animarum pastores, haud ultimum sane argumentum his nostris temporibus Litterae Encyclicae exstitere « Ad catholici sacerdotii », necnon Constitutio Apostolica « Deus scientiarum Dominus » f. r. Pii Pp. XI : quorum documentorum alterum morum institutioni, alterum vero rationi studiorum clericalis militiae pressius consuluit.

Sacra haec Congregatio pro Ecclesia Orientali quae sub immediata Summi Pontificis directione, peculiari studio bonum fovet orientalium fidelium, ac proinde eorum praesertim qui, sacerdotali aucti dignitate, per multiplicem miramque varietatem sacrorum rituum, illorum animas ad Deum ducere atque comitari debent, plurimis atque in dies gravioribus regionum ac populorum sibi curae commissorum perspectis necessitatibus, officii sui censet, ut quae supra memoravimus documenta, quantum fieri possit, peculiarem applicationem sortiantur etiam pro iuvenibus levitis orientalibus, quos, praeter officia cuique sacerdoti communia, naturali quadam necessitate, missionales quoque esse oportet erga eos qui catholicam fidem non habeant, simulque apologetas erga dissidentes fratres, apud quos seu quibuscum vivere debent.

His porro, quae quidem gravissimae sunt, aliae quoque non minoris momenti accedunt rationes, si hodierna tempora ac res, quae ubique progrediuntur, prae oculis habeantur.

Si enim, anteactis temporibus, tantum in urbibus hic rerum progressus fieri consuevit, hodie contra, vel in oppidis et in vicis, patenter habetur ; ubi quoque propterea sacerdotibus, sanctitate ac scientia praeditis, omnino opus est : huiusmodi nempe qui verbo apostolico, zelo ac doctrina

omnibus duces se praebeant, arceantque periculum, ne Christifideles erroris malitiaeque facilis evadant praeda.

Neque vero praetereundum est cuique sacerdoti gravissimum officii munus incumbere praedicandi ubique atque docendi divinam veritatem, iuxta illud « vos estis sal terrae, vos estis lux mundi » : gravissimum profecto munus, quod si omittere nefas est, adimpleri tamen quidem non potest, nisi sacerdotes scientiae thesauro ac virtutibus eximiis sint praediti.

Quod si in ceteris vitae institutis, utpote iurisperiti, magistratus. medici etc., per plures annos opportunis disciplinarum studiis est incumbendum, praescriptamque lauream oportet adipisci, immo si vel manualium artium cultores, antequam artem exerceant, diuturna indigent praeparatione, multo sane diuturniore ac diligentiore instituto opus est Christi administris, tum ob sublimem sacerdotii dignitatem, tum denique ob eidem adnexum gravissimum pondus, regimen scilicet animarum, de quibus Christo ab iisdem ratio est reddenda.

Neque reapse cogitari possunt sacerdotes — quibus officium est pascere verbo vitae, veritatem docere, dirigere atque firmare per vias iustitiae caritatisque animas a Christo redemptas — minus docti ac parati quam ii, qui corporum solummodo rerumve terrenarum curam susceperint.

Eo igitur consilio ut, quantum fieri liceat, nobilissimum hoc propositum ad effectum deducatur, consulendi nempe sufficienti ac solidae institutioni morali ac doctrinali eorum qui in sortem Domini vocantur, et praecavendi abusus qui, sensim sine sensu, in conferendis sacris Ordinibus haberi forte potuerint, Sacra haec Congregatio, in Plenario Conventu Eminorum Cardinalium, habito die 20 martii a. 1939, totam quaestionem sedulo examinavit, rebusque mature perpensis, haec quae sequuntur statuit ac decrevit :

I - *De admissione candidatorum*

1° Ut quis in seminarium seu domum religiosam admittatur, ut postea Sacros maiores Ordines recipiat, testimonium exhibeat vitae irreprehensibilis, scripto datum ab ipsius parocho vel Ordinario, quod iidem ne tradant nisi sua onerata coram Domino conscientia.

2° In seminaria ne admittantur qui ex aliis seminariis, monasteriis, piisque institutis dimissi fuerint, nisi prius consulta S. Congregatione pro Ecclesia Orientali.

3° Si quem vero ad Sacros Ordines vocatum non constet, nec idoneum ad munera eisdem inhaerentia — sacramentorum nempe administratio-

nem, praedicationem verbi Dei, christianam catechesim — neque viribus animoque obsistendi separatis ab unitate Ecclesiae sufficienter sit praeditus, is omnino neque in seminariis, neque in domibus clericalium studiorum, neque in religiosis institutis, uti alumnus, retineri potest, neque denique in sacris constitui, ac sacerdotio initiari.

II – *De alumnorum in seminariis institutione*

4° Tum doctrinalis, tum vero moralis et ascetica alumnorum institutio in seminariis impertienda est, in collegiis nempe seu domibus reservatis tantum alumnis sacerdotio initiandis, quaeque ad huiusmodi finem apposite constituta et ordinata sint.

5° Expleto superiori curriculo litterarum, ad sacerdotium candidati unum *saltem* annum philosophiae studio, tres vero sacrae theologiae impendere debent, firma tamen studiorum ratione Seminariorum atque Institutorum Religiosorum in quibus cursus philosophicus ac theologicus amplior et perfectior laudabiliter iam absolvitur. Patriarchae erit harum rationem disciplinarum seu, uti aiunt « programma » conficere et ad S. Congregationem pro approbatione transmittere.

6° Peculiari denique sollicitudine S. Congregatio commendat, ut candidati idoneos quoque se reddant ad docendum in scholis publicis, necessariamque attestationem, seu diploma, a civili auctoritate adipiscantur, ita ut ad munus publici magistri eligi possint.

III – *De ascensu ad Ordines Sacros*

7° Nequit Episcopus manus cuiquam imponere, nisi prius moraliter ac positive certior factus fuerit de canonica idoneitate eligendi; alioquin non modo gravissime peccat, sed et periculo sese committit cum peccatis alienis communicandi. Quamobrem attestationem sibi procuret necesse est Superioris seminarii seu domus vel monasterii, ubi studiorum curriculum candidatus peregerit, necnon sententiam sive iudicium Commissionis, quam vocant, Ordinandorum Examinatricis, uti per ea quae sequuntur, statuitur.

8° Attestatio Superioris seminarii, monasterii seu domus piae, per secretum scrutinium et cum maiore parte suffragiorum exquirenda, in consilio professorum confici debet; inde vero Ordinario, seu Supremo Ordinis Moderatori, si de religioso agitur, scripto communicari, simulque Commissioni Ordinandorum Examinatrici.

9° Antequam Sacros Ordines conferat, Episcopus sedulo quoque perpendat, se, cum ad sacerdotium aliquem admittit, eum acceptare, suo-

que mancipare servitio, nempe dioecesi atque animabus suae curae commissis, ideoque sibi fieri obnoxium non modo quoad eiusdem statum vel condicionem, sed etiam quoad temporalem substentationem, nisi forte electum substentationis titulum personalem, securum, vereque sufficientem, habere constiterit.

10° Ex hoc gravissimo episcopali officio circa sacerdotum statum ac temporalem condicionem, necessario consequitur Sacros Ordines iis tantum esse conferendos quos animarum bonum expostulat. Sacrilegus reapse abusus plenitudinis sacri characteris censendus est, sacerdotalem conferre ordinem, alicuius familiae seu factionis favore, amicorum vel hominum potentium instantia, vel cuiuslibet humani commodi intuitu.

11° Unusquisque ad Sacros Ordines maiores candidatus, cuiusvis sit aetatis vel condicionis, antequam Ordinem recipiat, coram Commissione Examinatrice se sistere debet, eique de sua ipsius praeparatione satisfacere.

12° Singuli Patriarchatus Commissionem Examinatricem, vi huius Decreti, habento. Haec vero:

a) aliquot membris constare debet nempe 5, 7, 9; numquam tamen minus tribus selectis ex clero saeculari ac regulari, alterius vel proprii ritus;

b) constituatur per Patriarcham una cum Delegato Apostolico; ab eodemque Delegato, nomine huius S. Congregationis, approbetur;

c) examinatores Commissionis studiorum titulum in facultatibus theologicis ac philosophicis regulariter adepti sint, vel saltem bene compleverint integrum studiorum curriculum apud facultatem quamdam seu seminarium, notique sint probata doctrina;

d) Ordinario seu Superiori cuiusvis ordinandi officium sit conventum Commissionis Examinatricis tempestive promovere — nisi forte certa tempora Patriarcha statuerit — ad eamque mittere candidatos. Est autem penes Ordinarium seu Superiorem, ratione temporis vel commoditatis, ad Commissionem alterius Patriarchatus praesentare ordinandos;

e) Commissio sententiam det scripto exaratam duplicique exemplari, quorum alterum servetur in tabulario Eparchiae sive Ordinis ad quem pertinet candidatus, alterum in tabulario seminarii seu instituti ubi studia peracta fuerint;

f) Commissio quoties pro examinibus congregatur, tria saltem membra habeat, et iudicium proferat per suffragium secretum, quod unanimitatem prae se ferre debet ut quis ad Sacros maiores Ordines admitti possit. Candidatus vero qui unanimitatem non retulerit, Commissioni,

aliquo elapso temporis spatio, denuo se sistendi ius habet, eique contra sententiam recursus patet ad Sacram Congregationem;

g) in examine coram Commissione subeundo unusquisque candidatus satisfacere debet: 1) de sua ipsius praeparatione morali et ascetica; 2) de scientia practica atque theologica cuiusvis Ordinis suscipiendi; 3) de institutione doctrinali, inspectis in primis theologia dogmatica, morali et sacramentaria, liturgia et iure canonico;

h) huiusmodi examen superandum est antequam candidatus ad Sacros maiores Ordines admittatur, atque iterum, secunda vice, priusquam sacerdotio initietur.

13° Ut vero recens ordinati suo munere, qua par est dignitate, fungi pergant, per integrum quinquennium ab inito sacerdotio tenentur singulis annis Commissioni Examinatrici se sistere, ut diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, satisfaciant et interesse peculiaribus curriculis seu collationibus, quae locorum Ordinarii ac S. Congregatio quotannis promovere curaverint.

Documentum comprobans exitum annui periculi ad Episcopum, vel, si agatur de religiosis, ad Superiorem Ordinis, necnon ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali mittatur.

14° Condicionibus, quas supra recensuimus, circa praeparationem et ascensum ad Sacros Ordines, omnes candidati obstringuntur, sive caelibes sive uxorati advocentur.

IV - *Derogationes et sanctiones*

15° Quaevis derogatio seu dispensatio ab his quae praesenti decreto statuta sunt, maxime vero circa ea quae attinent ad obligationem ac tempus commorationis in seminario seu domo ecclesiastica, ad sententiam Superioris seminarii seu instituti pii, necnon Commissionis Examinatricis, S. Congregationi reservatur.

16° Qui sine praevia in aliquo seminario seu domo ecclesiastica, praescripta commoratione, vel non obtentis, quae supra enumerantur ac requiruntur, documentis favorabilibus, Sacris maioribus Ordinibus initiatus fuerit, ipso facto ab exercitio ordinis suspensus manet, et ad S. Sedem recurrere debet.

17° Suspensionem item a collatione Sacrorum Ordinum Episcopus ipso facto incurrit, qui scienter Sacros maiores Ordines candidato de quo in num. 16 contulerit.

Quae omnia, relata Ssmo D. N. Pio, div. prov. Papa XII, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali a secretis die 27 m. Ianuarii a. 1940,

Beatissimus Pater adprobare dignatus est et per praesens decretum iussit publici iuris fieri.

Contrariis quibuslibet minime obfuturis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 27 m. Ianuarii, in festo S. Ioannis Chrysostomi, a. 1940.

EUGENIUS Card. TISSERANT, *a secretis.*

L. ✠ S.

Ioseph Cesarini, *Adsessor.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

RUTHENEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARIAE GULIELMAE DE RODAT, FUNDATRICIS SORORUM A SACRA FAMILIA.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Miserentissimo Divinae Providentiae consilio factum est ut, dum, sub decimi octavi saeculi fine, impiorum molimine, Encyclopaedistarum praesertim, paene infinita malorum colluvies gallicam gentem quaquaversus perturbabat, ex ipso eius sinu confertum martyrum agmen pro aris et focis sanguinem generose fundere non dubitaverit, atque non pauci, qui tot tantisque ruinis verbo, opera et exemplo efficax remedium attulerunt, exurgerent. Quibus iure merito Maria Gulielma Aemilia de Rodat est accensenda, quae anno 1797 in Ruthenensi dioecesi nata, non modo virtutum omnium heroico exercitio inclaruit, sed et actuosissimam vitam, una cum religiosa familia a se condita, in puellarum educatione atque institutione felicissimo exitu devovit. Ad tantum autem opus ad effectum perducendum totam fiduciam suam in Deo plenissime collocavit, adeo ut de ea passim diceretur: *Dextera manu Deum apprehendebat, sinistra vero pro Eo et pro animabus se impendebat.* Hac fiducia confortata amaritudines, dolores, contraria quaeque superavit, caelestemque coronam, ut videtur, sibi comparavit ad divinum Sponsum evolans die 19 Septembris mensis a. D. 1852.

Quum sanctitatis fama post eius felicem obitum non deferbuisset, ordinaria auctoritate inquisitiones peractae sunt, servatisque de iure servandis eius Causa Sacrae huic Congregationi a Pio Papa IX f. r. die 7 Martii a. 1871 fuit commissa. Apostolico dein processu constructo, atque de virtutibus in sacra Congregatione discussa quaestione, Leonis XIII auctoritate, die 14 Iunii a. 1901 Servam Dei heroicis fulsisse virtutibus fuit decretum. Diligentes actores duas miras sanationes, eius interventu obtentas, Sacrae Congregationis examini subiecerunt, quae, si uti vera miracula agnoscerentur, viam ad sollemnem Beatificationem complanarent. Hae autem sunt:

I. Maria Verdier vidua Girard anno 1894 ineunte in sinistro sinu canceroso tumore tentata fuit cum glandularum sinistrae axillae inflatione. Hanc diagnosim, quam medicus alter alterque chirurgus edixerant, non solum tres periti ex officio confirmarunt, sed alii duo quoque additi, quasi peritissimi plene probaverunt. Cancer autem est omnino naturae viribus insanabilis. Infausta itaque prognosis.

Iamvero Maria, eius propinqui, atque sacrae Familiae Sorores fervidas ad Deum effudere preces, reliquiis quoque Venerabilis Aemiliae aegro sinui appositis, ut eiusdem intercessione infirmam sanare dignaretur.

Mirantibus a cura medicis ceterisque, intra paucorum dierum spatium Maria perfecte sanata est, nec amplius in morbum recidit. Tum duo medentes, tum officiales periti miraculum a Deo patratum hac in sanatione fatentur.

II. Gabriela Hambrouch vidua Breithoff diffusa acutissima peritonite postoperatoria cum entero-cutanea fistula laborabat, quin ulla recuperandae valetudinis spes affulgeret, duorum medicorum iudicio, qui ad paucas tantum horas perdurare posse edixerant; quare sero Dominicae diei, 13 Martii a. 1921, sacro oleo fuit inuncta. Has diagnosim et prognosim tres periti ab hac Sacra Congregatione adlecti plene confirmarunt. Naturalibus artisque medicae remediis incassum cedentibus, Venerabilis Aemilia tantum ferventer fuit invocata, de eiusque reliquiis pars fuit morientis corpori apposita. Placide infirma quievit, somnumque cepit: media nocte infirmariae Sorori dixit se bene valere iterumque obdormivit.

Summo mane sequenti, nullum gravissimi morbi indicium superesse infirma persensit, Sororque assistens recognovit. Paucas post horas perfecte sanatam eam medens edixit. In qua recuperata valetudine perseveravit. Duo medentes in iudicio excussi, tresque ex officio periti unanimiter in miraculum concedunt.

Super hisce sanationibus Apostolicae inquisitiones in Ruthenensi et

Parisiensi nec non Mechliniensi Curiis fuerunt adornatae, pro quarum iuridico valore die 1° Februarii mensis anno proxime elapso decretum est. Die 27 Iunii antepraeparatorius Sacrae huius Congregationis coetus coram Revmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente seu Relatore, coactus est, cui praeparatorius die 7 Novembris coram PP. Cardinalibus successit. Denique die 5 mensis Martii hoc anno coram Ssmo D. N. Pio Papa XII in generalibus Comitiis idem Revmus Cardinalis dubium proposuit disceptandum: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores sua quisque edidere suffragia. Beatissimus vero Pater, qui haec attento animo audiverat, suam differre censuit aperire mentem, adstantes hortatus ut una secum a Deo lumen implorarent.

Sententiam autem edere volens, Dominicam hanc in Palmis selegit, diem 17 Martii mensis, sapienter auspicans, ut sicut *Deus per olivae ramum pacem in terris columbam nuntiare iussit* (or. in bened. palm.) ita, Venerabili Aemilia deprecante, quae per hoc decretum ad altarium honores feliciter properat, Deus mundo, tam graviter perturbato bellisque commoto, pacem in iustitia misericorditer largiri dignetur.

Quapropter Revmis Cardinalibus Carolo Salotti, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto atque Alexandro Verde, Causae Ponente, nec non R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore generali meque infrascripto Secretario arcessitis, sacrosancta Hostia religiosissime litata, decrevit: *Constare de duobus miraculis a Deo per Venerabilis* Mariae Gulielmae Aemiliae de Rodat *intercessionem patratis,* nempe: *De instantanea perfectaque sanatione tum Mariae Verdier viduae Girard a conceroso tumore in sinistro sinu cum glandularum axillae inflatione, tum Gabrielae Hambrouch viduae Breithoff a peritonite diffusa, acutissima lethali cum fistula enterocutanea.*

Datum Romae, die 17 Martii, Dominica in Palmis, a. D. 1940.

✠ Carolus Card. Salotti, Episcopus Praenestinus,
Praefectus.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

BRIXIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARIAE CRUCIFIXAE DI ROSA, FUNDATRICIS CONGREGATIONIS ANCILLARUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, Tuto *procedi possit ad praedictae Venerabilis sollemnem Beatificationem.*

« Nos, fratres, perbelle scribit Augustinus, si veraciter amamus Christum, imitemur. Non enim meliorem reddere poterimus dilectionis fructum, quam imitationis exemplum. *Christus enim pro nobis passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia eius.* In hac sententia vidisse videtur Apostolus Petrus, quod pro his tantum passus est Christus, qui sequuntur vestigia eius » (Serm., 304, 2).

Venerabilis Maria Crucifixa Di Rosa, Christi amore percita, Christo configi voluit cruci, nomenque hoc in religiosa vita sumere, ut dilectissimi sponsi memoria suae menti iugiter obversaretur eiusque sequeretur vestigia, ut, sicut ipse *dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea* (Eph., 5, 25), ita et ipsa in animarum corporumque salutem proximorum, qui sunt eius corpus, seipsam totam insumeret.

Nobili loco, Brixiae, ex equite Clemente et Camilla Albani, comitissa, christianis virtutibus praeclaris, die 6 Novembris anno 1813 est mundo nata, et, per baptismum, caelo renata, cui nomina Paula, Francisca Maria imposita sunt. Ab infantia pietatis in Deum indubia specimina dedit, quae, succrescente aetate, praesertim postquam Sacro Chrismate ipsa confirmata fuisset et caelesti pane saginata, magis magisque perspicua facta sunt, adeo ut Moniales monasterii Visitationis, apud quas, matre demortua, instituenda atque educanda concredita fuerat a patre, vividam suavemque puellae virtutum memoriam servarent. Septemdecim annos natam, monasterio abductam, totius familiae atque sericis filis nectendis officinae moderatricem pater constituit. Quo munere ita prudenter solliciteque fungi satagebat, ut non solum rem familiarem vigil tueretur, sed et spirituali domesticorum et opificum bono consuleret. Nec intra domesticos parietes Christi caritas, quae eam urgebat, contrahebatur, sed ubicumque aliquod misericordiae opus occurrisset illuc advolabat, afflictos erigendo, pauperes sustentando, periclitantes puellas

aut vitio irretitas ad bonum retrahendo, omnes, quantum potuisset, consolando.

Grassante anno 1836 cholerica lue, durissimam infirmarum ab omnibus, contagionis timore, derelictarum miserata sortem, quasi sui iuris earum curationem sibi vindicavit, mirandum toti civitati caritatis exemplum ostendens.

Ad tam grande heroicumque facinus viduam Gabrielam Bornati, cuius virtutes probe noscebat, sibi consociavit; nobile Congregationis Ancillarum a Caritate rudimentum. Quae Congregatio anno 1839 condita, primitus auctoritate politica atque episcopali a. 1843, dein non multo post a Sancta Sede fuit approbata, uberesque fructus in animarum salutem attulit affertque. Quo in moliendo opere multa est passa quae Deo confisa fortissime superavit quaeque una cum ceterarum virtutum exercitio, gloriae coronam ei comparavere; ad quam die 15 Decembris a. 1855 a caelesti Sponso, cuius vestigia fidelissime fuerat sequuta, fuit advocata, Filiabus suis cunctisque Brixiensibus civibus eam complorantibus. Sanctitatis fama vivax permansit, ideoque, ordinariis inquisitionibus in Brixiensi Curia peractis, Pius X, fel. rec., die 10 Decembris mensis a. 1913 Causam apud sacram Congregationem introduci mandavit. Decretum super liturgico cultu Servae Dei non praestito, die 22 Martii 1916 editum fuit.

Apostolicis processibus super virtutibus in specie rite confectis, ut constat ex decreto diei 11 Decembris 1918, triplici de iisdem disceptatione habita, Pio Papa XI sa. me. approbante, decretum pro heroicis virtutibus die 10 Iulii a. 1932 editum est.

Quum autem nonnullae sanationes a Deo, supra naturae vires, Venerabili intercedente, patratae fuisse viderentur, vigiles actores duas ex his sacrae huic Congregationi exhibuerunt, quas uti vera miracula habendas Ssmus D. N. Pius Papa XII die 25 elapsi mensis per Sacrae huius Congregationis decretum edixit.

Ut autem ad sollemnem Beatificationem procedi possit, sapienter a iure statutum est ut in generali Congregatione dubium discutiatur: *An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum,* Tuto *procedi possit ad eiusdem Venerabilis sollemnem Beatificationem.* Quod die 5 mensis huius infrascriptus Cardinalis Ponens seu Relator proposuit. Revmi Cardinales omnesque seu Officiales Praelati seu PP. Consultores unanimi affirmativo suffragio responderunt.

Beatissimus vero Pater cunctandum aliquantisper ratus est, ut iteratis precibus divinam voluntatem agnosceret.

Ut autem Suam aperiret mentem, diem hanc selegit Dominicam *in*

Palmis. Quare infrascriptum Cardinalem, R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem meque infrascriptum Secretarium ad Se accivit. Divinoque Eucharistico sacrificio pientissime litato, edixit: Tuto *procedi potest ad sollemnem Venerabilis* Mariae Crucifixae Di Rosa *Beatificationem*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri, in acta Sacrae Rituum Congregationis referri, Apostolicasque Litteras sub Piscatoris anulo expediri mandavit.

Datum Romae, die 17 Martii, Dominica in Palmis, a. D. 1940.

✠ Carolus Card. Salotti, Episcopus Praenestinus,
Praefectus.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius*.

ACTA OFFICIORUM

DATARIA APOSTOLICA

DECLARATIO

DE CONDITIONIBUS IN CONFERENDO CANONICATU THEOLOGALI REQUISITIS

Quae in *Motu Proprio* Pii fel. rec. Pp. XI « Bibliorum scientiam » diei 27 Aprilis 1924 (*Acta Apost. Sedis*, 16, 1924, pag. 181) sub II statuta sunt, de requisitis in eo cui conferendum sit Beneficium in quo canonice insit onus Sacrae Scripturae populo explanandae, ita sunt interpretanda, ut, ceteris paribus, ille, etiam Doctori in Sacra Theologia (de quo in Canone 399, § 1), praeferatur, qui Laurea aut Licentia in Re Biblica insignitus sit.

Ex Audientia Ssmi diei 8 Aprilis 1940.

F. Card. TEDESCHINI, *S. R. E. Datarius.*

L. ✠ S.

Ioseph Guerri, *Regens.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 2 aprile 1940, nel Palazzo Apostolico Vaticano, all'augusta presenza del Santo Padre, si è adunata la Congregazione *generale* dei Sacri Riti, con l'intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali, dei Prelati Officiali e dei Consultori teologi, i quali hanno dato il loro voto sul *Tuto* per la beatificazione della Venerabile Serva di Dio Maria Guglielma Emilia de Rodat, fondatrice delle Suore della S. Famiglia, nonchè sui miracoli che si asseriscono da Dio operati ad intercessione del Venerabile Servo di Dio Ignazio da Laconi, laico professo dell'Ordine dei Minori Cappuccini.

Martedì, 9 aprile 1940, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria* e *ordinaria particolare* con l'intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali e dei Revmi Prelati Officiali, i quali hanno discusso:

I. Sulla Introduzione della causa di beatificazione delle Serve di Dio:

a) Maria Eugenia di Gesù, fondatrice dell'Istituto delle Suore dell'Assunzione.

b) Giuseppina Gaud (Suor San Domenico della Croce), fondatrice della Congregazione di S. Caterina da Siena e del Terz'Ordine di S. Domenico.

II. Sulla riassunzione della causa di canonizzazione della Beata Bartolomea Capitanio, fondatrice delle Suore della Carità.

III. Sulla validità dei processi dei miracoli della Beata Caterina Labouré, della Società delle Figlie della Carità di S. Vincenzo de' Paoli, e della Venerabile Serva di Dio Teresa Eustocchio Verzeri, fondatrice dell'Istituto delle Figlie del S. Cuore di Gesù.

IV. Sulla validità dei processi delle virtù del Servo di Dio Federico Albert, sacerdote, vicario parrocchiale e foraneo.

SACRA PENITENZIERIA APOSTOLICA

AVVISO DI CONCORSO

Nel Sacro Tribunale della Penitenzieria Apostolica è indetto il concorso all'Ufficio di *Sostituto* per titoli ed esami.

I Sacerdoti che volessero prendervi parte, purchè abbiano compiuti i trentacinque anni e siano approvati per le confessioni dei fedeli *utriusque sexus*,

dovranno esibire alla Segreteria dello stesso Tribunale entro il 15 maggio p. v. la domanda corredata del *Nulla osta* del rispettivo Ordinario e del Vicariato di Roma insieme con i documenti degli studi compiuti, dei gradi accademici conseguiti e di altri eventuali titoli.

Si terrà in particolare considerazione la conoscenza di lingue estere.

Gli esami consisteranno in una prova scritta ed orale su materie di teologia morale e di diritto canonico ed avranno luogo nei locali della Segreteria (Palazzo del S. Uffizio) in giorni ed ore che saranno comunicati direttamente ai singoli interessati.

Roma, dalla S. Penitenzieria Apostolica, 5 aprile 1940.

S. Luzio, *Reggente.*

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato in data 10 aprile 1940, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare Sua Eccellenza Don Leone Massimo, dei Principi di Arsoli, Duca di Anticoli Corrado, *Coadiutore di Sua Eccellenza il Principe Don Camillo Francesco Massimo, nell'Ufficio di Sopraintendente Generale alle Poste.*

Parimenti con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

17 maggio 1939. Monsig. Antonio Mantica, dell'archidiocesi di Bucarest.
18 maggio » Monsig. Giuseppe Delgado, dell'archidiocesi di Parahyba.
» » » Monsig. Giovanni Continho, della medesima archidiocesi.
29 giugno » Monsig. Manoel Soares, dell'archidiocesi di San Sebastiano di Rio de Janeiro.
3 agosto » Monsig. Marino Cappellini, della diocesi di Campos.
10 agosto » Monsig. Giuseppe de Deus, della diocesi di Campanha.
» » » Monsig. Adriano Dienes, della diocesi di Cassovia.
» » » Monsig. Giuseppe Fogarassy, dell'amministrazione apostolica di Cassovia slovacca.
» » » Monsig. Valentino Bélafi, della medesima amministrazione apostolica.
» » » Monsig. Geysa Giuseppe Fekete, della diocesi di Cassovia.
» » » Monsig. Nicola Pfeiffer, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Gioacchino Pereira Seco, della diocesi di Guarda.

24 agosto 1939. Monsig. Porfirio da Cruz Quintela, del Patriarcato di Lisbona.
7 settembre » Monsig. Abele Mendez Telles, della diocesi di Riberão Preto.
28 » » Monsig. Paolo A. Marques, del Patriarcato di Lisbona.
» » » Monsig. Guglielmo Arnold, della diocesi di Riberão Preto.
» » » Monsig. Giuseppe Mendes, della medesima diocesi.
14 dicembre » Monsig. Vincenzo Jacono, della diocesi di Agrigento.
» » » Monsig. Francesco Vannini, dell'archidiocesi di Ancona.
» » » Monsig. Sante Milano, dell'archidiocesi di Bari.
» » » Monsig. Domenico Trisoglio, della diocesi di Casal Monferrato.
» » » Monsig. Carlo Isotti, della diocesi di Fano.
» » » Monsig. Giuseppe Potentini, dell'archidiocesi di Fermo.
» » » Monsig. Fabio Fabbi, della diocesi di Norcia.
» » » Monsig. Dante Barbieri, dell'archidiocesi di Spoleto.
11 gennaio 1940. Monsig. Vito Staffieri, dell'archidiocesi di Matera.
18 » » Monsig. Giovanni Barlassina, della diocesi di Novara.
» » » Monsig. Ettore Morisi, della diocesi di Piacenza.
19 » » Monsig. Agostino Pallaroni, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Alfonso Fermi, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Paolo Checchi, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Alessandro Bersani, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giulio Razza, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Tarquinio Mosconi, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Guglielmo Bertuzzi, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Latini, della diocesi di Teramo.
» » » Monsig. Pietro Iobbi, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giulio Albani, della medesima diocesi.
8 » » Monsig. Giuseppe Chiot, della diocesi di Verona.
» » » Monsig. Fortunato Bonetti, della medesima diocesi.
25 » » Monsig. Agostino Wolf, della diocesi di Sirmio.
» » » Monsig. Adolfo Dosio, dell'archidiocesi di Torino.
1 febbraio » Monsig. Paolo Buttigieg, della diocesi di Malta.
» » » Monsig. Teodoro Ermanno Andrea Maria van der Mark, della diocesi di Ruremonda.
» » » Monsig. Giuseppe Adriano Kwisthout, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Raffaele Montaruli, della diocesi di Ruvo e Bitonto.
» » » Monsig. Rocco Gramegna, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Mazzoni, della medesima diocesi.
8 » » Monsig. Paolo Comparato, della diocesi di Agrigento.

8 febbraio 1940. Monsig. Giacomo G. Duffy, della diocesi di Cleveland.
» » » Monsig. Giorgio A. Vhitehead, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Roberto B. Navin, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Domenico Cambiaso, dell'archidiocesi di Genova.
15 » » Monsig. Vincenzo Galleni, della diocesi di Apuania.
» » » Monsig. Luigi Figna, della diocesi di Imola.
» » » Monsig. Achille Leleu, della diocesi di Lilla.
» » » Monsig. Antonio Jacobs, dell'archidiocesi di Los Angeles.
22 » » Monsig. Emilio Guano, dell'archidiocesi di Genova.
» » » Monsig. Franco Costa, della medesima archidiocesi.
29 » » Monsig. Crescenzio Amodeo, della diocesi di Avellino.
» » » Monsig. Antonio Zara D'Aulisio, della diocesi di Caserta.

Camerieri Segreti Soprannumerari di Spada e Cappa di S. S.:

20 aprile 1939. Il sig. Enrico de Courcy May, della diocesi di Nizza.
5 luglio » Il sig. Marchese Pasquale Pinto, del vicariato apostolico di Aleppo.
» » » Il sig. Cirillo Rocke, dell'archidiocesi di Westminster.
29 settembre » Il sig. Emanuele Francesco de Barros Visconte di Santarem, del patriarcato di Lisbona.
14 dicembre » Il sig. Rodolfo Marchant et d'Ansembourg, della diocesi di Ruremonda.
11 gennaio 1940. Il sig. Paolo Cassinis (Roma).
15 febbraio » Il sig. Luigi Tagliapietra, del patriarcato di Venezia.
7 marzo » Il nob. Antonino Catalano dei Signori del Marcato di Melilli, dell'archidiocesi di Catania.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

10 agosto 1939. Monsig. Stefano Demeter, dell'amministrazione apostolica di Cassovia slovacca.
» » » Monsig. Giovanni Dobránský, della medesima amministrazione apostolica.
» » » Monsig. Ludovico Kristof, della medesima amministrazione apostolica.
» » » Monsig. Giuseppe Lenz, della medesima amministrazione apostolica.
» » » Monsig. Luigi Ottó, della medesima amministrazione apostolica.
» » » Monsig. Alessandro Spesz, della medesima amministrazione apostolica.
» » » Monsig. Stefano Cselényi, della diocesi di Cassovia.
» » » Monsig. Michele Palyó, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Adalberto Wick, della medesima diocesi.

7 settembre 1939. Monsig. Biagio Baffa, della diocesi di Rio Preto.
19 gennaio 1940. Monsig. Vincenzo Gandolfi, dell'archidiocesi di Bologna.
» » » Monsig. Luigi Roncagli, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giacinto Marcozzi, della diocesi di Teramo.
» » » Monsig. Gaetano Cicioni, della medesima diocesi.
15 febbraio » Monsig. Alfredo Ferri, della diocesi di Imola.
» » » Monsig. Francesco Veglia, della diocesi di Mondovì.
» » » Monsig. Felice Basile, della diocesi di Nola.
» » » Monsig. Fortunato Giuseppe Mantovani, della diocesi di Verona.
22 » » Monsig. Felice Di Giulio, dell'archidiocesi di Lucca.
29 » » Monsig. Angelo Capobianco, della diocesi di Avellino.
» » » Monsig. Antonio Vecchi, della medesima diocesi.
15 » » Monsig. Stefano Mondino, della diocesi di Mondovì.

Camerieri d'onore soprannumerari di Spada e Cappa di S. S.:

9 marzo 1939. Il sig. Lorenzo Valeri (Roma).
19 gennaio 1940. Il sig. Domenico Piani, della diocesi di Imola.
31 » » Il sig. Pio Girelli (Roma).
15 febbraio » Il sig. Pio Folchi (Roma).
7 marzo » Il sig. Giuseppe Breccia, dell'archidiocesi di Fermo.
9 » » Il sig. Gino Maggia, della diocesi di Padova.
15 » » Il sig. Luigi Meda, dell'archidiocesi di Milano.

Cappellani Segreti d'onore di S. S.:

19 gennaio 1940. Monsig. Celso Venturi, dell'archidiocesi di Bologna.
» » » Monsig. Emilio Faggioli, della medesima archidiocesi.

Cappellani d'onore extra Urbem *di S. S.:*

19 gennaio 1940. Monsig. Giuseppe Cappelli, della diocesi di Piacenza.
15 febbraio » Monsig. Angelico Comuzzi, dell'archidiocesi di Udine.
29 » » Monsig. Giuseppe Pasquariello, della diocesi di Avellino.

NECROLOGIO

28 febbraio 1940. Monsig. Emanuele Hanisch, Vescovo tit. di Gor.
14 marzo » Monsig. Giovanni Onorato Carcaterra, Vescovo tit. di Ipso.
2 aprile » Monsig. Renato Pontes, Vescovo di Valencia nel Brasile.
9 » » Emo Signor Card. Giovanni Verdier, Arcivescovo di Parigi.
14 » » Monsig. Dionisio Njaradi, Vescovo di Crisio.
» » » Monsig. Nicola Cola, Vescovo di Nocera e Gualdo Tadino.

		Roma L.	Italia L.	Estero L.
CODICIS IURIS CANONICI FONTES, cura Emi Petri Card. Gasparri, in-8°.				
Vol. I.	**Concilia generalia - Romani Pontifices,** usque ad annum 1745 (n. 1-364), pp. XVI-954	65 —	68 —	75 —
Vol. II.	**Romani Pontifices,** ab anno 1746 ad annum 1885 (n. 365-544), pp. XII-1012	70 —	73 —	80 —
Vol. III.	**Romani Pontifices,** ab anno 1867 ad annum 1917 (n. 545-713), pp. XII-870	65 —	68 —	75 —
Vol. IV.	**Curia Romana,** S. C. S. Off. - S. C. Ep. et Reg. (n. 714-2055), pp. XXXII-1117	85 —	88,50	97 —
Vol. V.	**Curia Romana,** S. C. Consistorialis - S. C. de Sacramentis - S. C. Concilii (n. 2056-3704), pp. XL-1116	85 —	88,50	97 —
Vol. VI.	**Curia Romana,** S. C. Concilii, an. 1761-1917 - S. C. super statu Regul. - S. C. de Religiosis (n. 3705-4427) pp. XX-1034	80 —	83,50	92 —
Vol. VII.	**Curia Romana,** S. C. de Propaganda Fide - S. C. Indulg. - S. C. Indicis - S. R. C. - An. 1588-1790 (n. 4428-5822) pp. XXXVI-1060	80 —	83,50	92 —
Vol. VIII.	**Curia Romana,** cura et studio Emi Iustiniani Cardinalis Serédi editi (n. 5823-6464). In-8°, pp. XX-620	65 —	68 —	72 —
Vol. IX.	**Tabellae,** pp. XXVIII-311	40 —	42 —	45 —

Legati in pelle e tela nera (o rossa) con punte di pelle, testa rossa lucida, titolo, nervi al dorso, ciascun volume aumenta di L. 20.

CODIFICAZIONE CANONICA ORIENTALE - FONTI

SERIE I

Fasc. I.	**Testi vari di diritto nuovo** (1550-1902) - Parte prima	25 —	28 —	36 —
Fasc. II.	**Testi vari di diritto nuovo** (1550-1902) - Parte seconda	25 —	28 —	36 —
Fasc. III.	**Disciplina antiochena** (Siri): I. **Nomocanone di Bar Hebreo**	10 —	13 —	15 —
Fasc. IV.	**Disciplina caldea:** I. **Droit ancien: Synodes** (Synodicon orientale); Collectio canonum synodicorum d'Ebedjésus de Nisibe	15 —	18 —	22 —
Fasc. V.	**Disciplina alessandrina** (Etiopi): Testi di diritto antichi e moderni riguardanti gli Etiopi	25 —	28 —	33 —
Fasc. VI.	**Disciplina alessandrina:** Testi di diritto antichi riguardanti gli Etiopi	25 —	28 —	33 —
Fasc. VII.	**Disciplina armena:** Testi vari di diritto canonico armeno (Secoli IV-XVII)	25 —	28 —	36 —
Fasc. VIII.	**Studi storici sulle fonti del Diritto canonico orientale**	50 —	55 —	60 —
Fasc. IX.	**Disciplina generale antica** (sec. II-IX)	25 —	28 —	36 —
Fasc. X.	**Disciplina bizantina** (Rumeni): Testi di diritto particolare dei Rumeni	45 —	50 —	55 —
Fasc. XI.	**Disciplina bizantina** (Ruteni): Testi di diritto particolare dei Ruteni	55 —	60 —	65 —
Fasc. XII.	**Disciplina antiochena** (Maroniti): Testi di diritto particolare dei Maroniti	65 —	70 —	75 —
Fasc. XIII.	**Disciplina antiochena** (Maroniti): I. Ius particulare Maronitarum: A) Textus iuris non approbati. *Paratur*	—	—	—
Fasc. XIV.	**Disciplina antiochena** (Maroniti): II. Ius particulare religiosorum. *Paratur*	—	—	—
Fasc. XV.	**Discipline byzantine** (Melkites): Droit particulier des Melkites. - Première partie: Textes du droit approuvé	25 —	28 —	36 —
Fasc. XVI.	**Discipline byzantine** (Melkites): Droit particulier des Melkites. - Deuxième partie: Textes du droit non approuvé. *Sub prelo*	—	—	—

CODIFICAZIONE CANONICA ORIENTALE - FONTI

SERIE II

Fasc. I.	**Textes Législatifs touchant le Cénobitisme Egyptien,** par Mgr. François Kozman	10 —	11 —	12 —
Fasc. V.	**Textus selecti ex operibus Commentatorum Byzantinorum iuris ecclesiastici.** Cum introductione a P. Aemilio Herman S. J.	30 —	31,50	33 —
Fasc. VI.	**De Fontibus Iuris Ecclesiastici Russorum** - Commentarius historico-canonicus, curavit Aemilius Herman, S. I.	10 —	11 —	12 —
Fasc. VIII.	**De Fontibus Iuris Ecclesiastici Syro-Malankarensium** - Commentarius historico-canonicus, curavit P. Placidus a S. Ioseph, T. O. C. D.	10 —	11 —	12 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"**
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/₀ postale N. 1-16722)

CODEX IURIS CANONICI

PII X PONTIFICIS MAXIMI iussu digestus BENEDICTI PAPAE XV auctoritate promulgatus, praefatione Emi PETRI Card. GASPARRI et indice analytico-alphabetico auctus.

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
— (A) **Editio in-18°** (cm. 9 1/3×15), charta subtili non translucida; fol. LXXII-918	12 —	13 —	14 —
— (B) *Linteo contectum, angulis rotundatis*	16 —	17,50	19 —
— (C) **Editio in-18°** (cm. 9×14), charta indica; fol. LXXII-918. - *Linteo contectum*	20 —	21,50	22,50
— (D) *Pelle vitulina contectum, angulis rotundatis, dorso flexibili*	25 —	26,50	27,50
— (E) **Editio in-12°** (cm. 12 1/3×19 1/2); fol. XLIV-854	15 —	16,50	20,50
— (F) *Linteo contectum, angulis rotundatis*	22 —	23,50	27,50
— (P) *Volumen partim corio, partim linteo contectum*	27 —	28,50	32,50
— (G) **Editio in-12° cum Fontium annotatione** (cm. 12 1/3×19 1/2), charta subtili; fol. XLVIII-932	26 —	26,50	32 —
— (H) *Linteo contectum, angulis rotundatis*	33 —	34,50	39 —
— (Q) *Volumen partim corio, partim linteo contectum*	38 —	39,50	44 —
— (L) Idem, charta indica (in fogli piegati)	30 —	31,50	35 —
— (M) Idem, charta indica, *linteo contectum*	37 —	38,50	42 —
— (N) Idem, charta indica, *pelle vitulina contectum, angulis rotundatis, dorso flexibili*	48 —	49,50	53 —
— (R) *Volumen partim corio, partim linteo contectum*	42 —	43,50	47 —
— (O) **Editio in-8° cum Fontium annotatione** (cm. 16 1/2×26), charta crassiore; fol. XLVII-784	40 —	43 —	50 —
— (S) *Volumen partim corio, partim linteo contectum*	58 —	61 —	68 —

CODICIS IURIS CANONICI INTERPRETATIONES AUTHENTICAE

seu responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos annis MCMXVII-MCMXXXV data et in unum collecta atque Romanorum Pontificum actis et R. Curiae decisionibus aucta. 1935, in-8° — 12 — 13 — 14,50

— *Linteo contectum* — 19 — 20 — 21,50

CODICIS IURIS CANONICI SCHEMATA

LIB. IV - **De processibus,** digessit FRANCISCUS ROBERTI, Auditor Sacrae Romanae Rotae. I. *De iudiciis in genere.*

Est systematica ordinatio omnium scientificorum operum quae confecta sunt ad Codicem iuris canonici apparandum. Recensentur vota Consultorum, discussiones Commissionis Pontificiae, animadversiones Episcoporum, consilia E.morum Patrum; omnia iuxta Codicem parallelis ordinibus digesta. Singuli canones ab incunabulis ad definitivam formam progredi oculis conspiciuntur. - Volumen in folio 27×38, pagg. 480 . . — 70 — 73,50 84 —

Excerptum e Codice Iuris Canonici ad usum religionum laicalium:

Legislazione canonica riguardante le religioni laiche (traduzione italiana autorizzata). In-12°, pp. 76 — 1,60 2,50 2,60

Législation canonique concernant les religions laïques (traduction française autorisée). In-12°, pp. 72 — 1,60 2,50 2,60

Canonical legislation concerning religious (authorised english translation). In-12°, pp. 72 — 2 — 3 — 3,10

Legislación canónica relativa á las religiones laicales (traducción española autorizada). In-12°, pp. 78 — 1,60 2,50 2,60

Die kirchliche gesetzgebung bezüglich der nicht-priesterlichen klösterlichen genossenschaften (bevollmächtigte übersetzung). In-12°, pp. 80 — 2 — 3 — 3,10

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "**Acta Apostolicae Sedis**„
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/o postale N. 1-16722)